



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **LURINENSIS** QUODAM AB ARCHIDIOECESI
LIMANA DISTRACTO TERRITORIO
NOVA CONSTITUITUR DIOECESIS LURINENSIS APPELLANDA

Quo fructuosius evangelica disseminaretur veritas in quibusdam circumscriptionis Limanae regionibus, Venerabilis Frater Noster Augustus S.R.E. Cardinalis Vargas Alzamora, sacrorum Limanae metropolitanae Ecclesiae Antistes, audita Peruviae Episcoporum Conferentia, ab Apostolica Sede postulavit ut, e sua ecclesiastica communitate ampla territorii parte distracta nova exinde dioecesana sedes erigeretur. Nos igitur, audita sententia Venerabilis Fratris Fortunati Baldelli, Archiepiscopi titulo Mevaniensis et in Natione Peruviana Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis, ad motae postulationi concedendum esse censuimus. Summa Ergo Nostra potestate, a Limana archidioecesi integrum distrahimus territorium paroeciarum vulgari sermone nuncupatarum: Corpus Christi, Niño Jesús, La Anunciación, La Trinidad, Los Santos Inocentes, María Misionera, Sagrado Corazón de Jesús, San Francisco, San Gabriel Arcángel, San José de Nazaret, San Martín, Santa Catalina Labouré, Cristo de Pachacamilla, Cristo Resucitado, El Salvador, el Santísimo Salvador, Inmaculada Concepción, Jesús Nazareno, Nuestra Señora de la Paz, Nuestra Señora del Carmen, San Francisco (Tablada de Lurín), San Pedro de Lurín. Ex ita distracto territorio novam condimus dioecesim *Lurinensem* appellandam, iisdem circumscriptam finibus quibus praefatae paroeciae in territoriali Limanae Ecclesiae ordinatione in praesens terminantur. Huius dioecesis sedem in suburbio Limanae urbis vulgo nuncupato Lurín collocamus, cuius paroeciale templum Deo in honorem beati Petri Apostoli dicatum ibi exstans ad gradum et dignitatem Ecclesiae Cathedralis evehimus. Novam erectam dioecesim suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Limanae, eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Limani. Ut Pastori noviter erectae Ecclesiae validum tribuatur adiutorium, Collegium consultorum ad normam iuris quam primum constituatur. Congruae ac dignae sustentationi Praesulis novae dioecesis provideatur Curiae emolumentis, fidelium oblationibus et portione ei obveniente ex divisione ad normam canonis 122 Codicis Iuris Canonici facienda. Quod ad Seminarium dioecesanum statuendum sacrorumque alumnos formandos attinet, serventur praescripta iuris communis, prae oculis habitis normis et regulis a Congregatione

de Institutione Catholica statutis. Cum fas erit, selecti Seminarii alumni nec non sacerdotes studia completuri Romam mittantur. Simul ac Lurinensis dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, eo ipso sacerdotes Ecclesiae illi adscripti censeantur in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri autem clerici Seminarii que tirones Ecclesiae illi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio legitimum habent domicilium. Acta et documenta quae novam dioecesim eiusque clericos, fideles et bona temporalia respiciunt, a Curia Limana ad Curiam Lurinensem quam primum transmittantur. Ad haec omnia perficienda legamus memoratum Venerabilem Fratrem Fortunatum Baldelli, quem diximus, vel, ipso absente, negotiorum Apostolicae Sedis in Peruvia gestorem, necessarias et opportunas iisdem tribuens facultates etiam subdelegandi quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die quarto decimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo sexto, Pontificatus Nostri undevicesimo.

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	BERNARDINUS card. GANTIN <i>Congr. pro Episcopis Praef.</i>
---	--

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
 Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXXIX (1997), n. 4, pp. 240-241

© Copyright 1996 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana